DE
TUBI ACUSTICI AD SCISCITANDAM GRAVIDITATEM EFFICACIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XI. M. APRILIS A. MDCCCXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
CAROLUS AUGUSTUS LAU
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
E. BLASIUS, MED. DR.
C. F. HASSE, MED. DD.
F. W. SABAT, MED. CAND.

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, GRATIOSISSIMO,

IOANNI WIEBEL

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REI OMNIS MEDICAE EXERCITUS BORUSSICI SUMMO PRAEFECTO, REGI BORUSSIAE A CONSILIIS INTIMIS SUPREMIS ET ARCHIATRO, SEMINARII REGII MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI DIRECTORI, AQUILAE RUBRAE IN CLASSE TERTIA ET ORDINIS CRUCIS FERREAE IN CLASSE SECUNDA EQUITI, LEGIONIS HONORAR. REGIS FRANCO-GALLAE DECURIONI, ORDINIS RUSSICI ST. ANNAE IN CLASSE SECUNDA, ST. WLADIMIRI IN CLASSE QUARTA EQUITI.

NEC NON

VIRO

AMPLISSIMO, SPECTATISSIMO

T. SCHWERDTFEGER

AB INSPECTIONIBUS AEDIUM ADMINISTRANDARUM ET OFFICIIS CALCULATORIS INTIMI COLLEGII BEROLINENSIS IN CAUSIS DICENDIS SUPREMI ETC.

VIRIS MAXIME COLENDIS

SUMMA CUM VERECUNDIA ET REVERENTIA

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Praefamen.

Non solum in factitanda medicina circa aegrotorum curam, verum quoque in rebus forensibus summi esse momenti constat, ut non modo maxima cum probabilitate, sed etiam cum evidentia quadam cognoscatur, an uterum gerat mulier nec ne; quapropter omnia hunc ad scopum pertinentia neque medico, neque obstetricio negligenda, sed potius summo cum studio arripienda sunt. Mihi quidem tubus acusticus, a Laennec nuper inventus, morbisque pectoris cognoscendis adaptatus, a Lejumeau de Kergaradec autem ad sciscitandam graviditatem adhibitus, satis idoneus visus est, qui dissertationis inauguralis argumentum exhiberet. In instituto nosocomii caritatis obstetricio, in quo per plures menses medici inferioris vices exhibui, multifaria mihi con-

tigit opportunitas, observationes circa hanc materiam instituendi, quarum scrutinia, qualiacunque sunt, lectoribus offero. Utinam hae pagellae benevolo excipiantnr animo, quippe quas non ab artis magistro, sed tirone esse conscriptas, ingenue confiteor.

Momentis longe gravissimis, quibus mulierum vita, sive ipsas tantummodo spectes, sive commercium earum cum societate humana insignitur, citra dubium graviditas adnumeranda est, quippe quae virginem ad sublimius officii muliebris fastigium evehit, eamque scopo a natura praefixo, foetum scilicet concipiendi excolendique propiorem fert.

Per graviditatem (τὴν κύησιν) eum corporis muliebris statum intelligimus, in quo aliud corpus humanum sub effigie foetus vel generatur, vel generatum in eo persistit.

Initium graviditatis conceptio est, quae coitu (copulatione carnali) efficitur. Hoc enim actu ovulum ab ovario divulsum in uteri cavum coniicitur. In utero spermate virili foecundatur, et graviditas uterina inducitur, quae pro numero ovulorum divulsorum vel simplex, vel multiplex esse potest.

Sin ovulum, quod rarius quidem accidit, quadam de causa in Fallopii tuba remanet, vel ovario inhaeret, et nihilo secius semine virili tangitur, graviditas extrauterina, eaque vel tubarialis, vel ovarialis nascitur. — Ovulum, in utero depositum, vitaque propria imbutum, quae protinus post conceptionem formativa apparet, embryonis naturam induit, qui magis magisque excolitur, donec exeunte decimo mense lunari absolutus existat, et organismi alius instar, per se subsistere possit. Eodem autem modo, quo fructus evolvitur, uterus ipse varias mutationes subit, quippe qui singulis mensibus in longitudinem atque latitudinem porrigitur; eadem ratione portio vaginalis brevior evadit, postremoque penitus disparet.

Haud solum tamen uterus et ovulum gravissimas mutationes experiuntur, sed vita hominis novi in reliquo etiam corpori muliebri vitam actionesque alienat. Vis vitalis, antea omnium corporis partium evolutioni aequabiliter dicata, inter graviditatem non nisi partibus genitalibus mammisque advehitur, cum reliquo autem corpore eatenus tantum communicatur, quatenus conservatio eius ope indiget. In mammis turgor solito maior animadvertitur, durescunt enim, tenduntur, laticem aquosum et novissime lac secernunt, si embryo eo usque processit, ut utero possit excedere, mammisque maternis nutriri debeat.

Hae corporis alienationes muliebris pro signis graviditatis nec non pro effectibus geneseos et incrementi fructus habitae, et ab Auctoribus in signa incerta seu ambigua atque certa distributae sunt.

Experientia vero docuit, tam priora quam posteriora, si graviditatem iis determinare studeamus, saepissime fallaciam inducere, neque unum eius signum certum exsistere.

Signis incertis accensentur:

1. Horripilationes post conceptionem.
2. Convulsiones et animi deliquia.
3. Languor et somnolentia.
4. Color faciei mutatus, exanthemata faciei, lentigines.
5. Fastidium mariti.
6. Capitis dentiumque dolores.
7. Melancholia et mania.
8. Intumescentia colli.
9. Tumor et ampliatio mammarum.
10. Nausea, vomitus, diversae idiosyncrasiae, pica, spuendi cupiditas, dolores colici.
11. Mictus cum ardore.
12. Ariditas vel mador insolitus partium pudendarum.
13. Defectus menstruorum.

Nonne vero omnia haec phaenomena citra graviditatem aliis causis morbificis inducuntur, et nonne vera in graviditate saepenumero desunt?

14. Obturatio orificii uteri post conceptionem, cuius iam Hippocrates 1) mentionem fecit, et rotunditas perfectissima oris uteri externi, ad quam inter omnes Stein 2) primum animos attendit; attamen Loder fallaciam huius signi commonstravit, et numne quaevis menstruatio os uteri fere rotundum fecit? nonne feminae quaedam hystericae semper orificio uteri rotundo utuntur? et nonne altera ex parte, si primiparae sunt os uteri saepissime oblongum esse consuevit?

15. Intumescentia abdominis secundum certum ordinem, cum successiva umbilici mutatione, diverso uteri sito magnitudineque effecta. Verum etiam physomethra, polypi, excrescentiae, scirrhi, similiaque uteri vitia, eandem fere intumescentiam inferunt, ut ab eo discedam, quod proclinatio et reclinatio uteri, laxitas vaginae, ligamentorum uteri etc. situm hu-

---

1) Hippocratis Coi aphorism. Parisiis et Londini. Sect. V. Aphorism. 51.

2) Stein theoretisch practische Anleitung zur Geburtshülfe Marb. 799. §. 178.

ius visceris, non adeo constantem, pervertere possunt.

16. Mutationes formae et directionis portionis vaginalis, quae vero in morbis harum partium ex. gr. scirrhis adesse, et praeter graviditatem v. c. cum aëris in utero collectionibus praesto esse queunt.

Certis signis sequentia inseruntur:

1. Motus infantis a medico ipso observatus. At vero borborygmi abdominis, similem efficientes motum, quibus accedit, quod exploratio gravidarum vicies interdum instituitur, nec ullus infantum motus sentitur, imo propter singularem foetus positum et simultaneos ventris morbos ne sentiri quidem potest, signum hocce fallacissimum reddunt.

2. Tactus partis alicuius infantilis luculentus per portionem vaginalem aut vaginae parietem. Sed octavo demum mense hoc signo utendum est, quod praeterea saepissime deest, uti Osiander 1) etiam confitetur, si caput infantis partim maiori pelvis inclinatione perversoque uteri situ, partim funiculi umbilicalis circumvolutione nimis procul ab explorantis digito

---

1) Osiander Handbuch der Entbindungskunst. Tübingen 1819. 1. Bd. 2. Abthl. S. 439.

abest; aut si caput infantis superne collocatum est, partesque versus uteri orificium spectantes, uti scapulae, coxae, nates, placenta, tactum obscurum reddunt, quem etiam tumores in pelvis et ventris cavitate largiri possunt.

3. Tactus tunicarum ovi, secundinarum et partium infantilium per uteri os iam patescens; nec non manifestatio fructus ipsius. Utrumque autem signum ad partus initia pertinet, et quatenus hic sine praevia graviditate fieri nequit, sane etiam, sed nimis sero, mulierem praegnare testantur.

Nullum igitur horum signorum desideriis satisfacit, quibus graviditatis criterium respondere oportet, quippe quod a phaenomenis tantum depromi potest, quae nuncquam absunt, nec aliam recipiunt explicationem, sed artis auxiliis indagari queunt, ergo medicis perspicuitatem obiectivam neutiquam vero persuasionem subiectivam praegnantibus exhibent.

Quatenus exploratio per tubum acusticum, nuperiori aetate certis graviditatis signis adnumerata, hisce desideriis satisfaciat, iam demonstrare conabor. Primum, qui tubum acusticum a Laennec 1) ad pervestigandos thoracis morbos

---

1) Laennec de l'auscultation mediate etc. Paris 819.

inventum quoque dignoscendae graviditati idoneum existimaret, Lejumeau de Kergaradec 1) exstitisse, iam supra diximus. Casu quodam in hanc methodum incidit, quum ventrem feminae aegrotae eiusque gravidae exploraret, et duplicem pulsationem in eo percipere sibi videretur, cuius rationem simul a foetu petendam esse autumavit. Post eum multi hunc ad scopum praegnantes investigaverunt v. c. Recamier, Beclard, Foderé, de Lens, Laennec, Dubois, Petit, d'Outrepont, Mounoir, Kluge, Hauck, Büttner etc. et effata Lejumeau de Kergaradec comprobaverunt, licet Dugés aliique huic opinioni obniterentur, et fallaciam subesse opinarentur. Serius tamen Dugés pulsationem aliquam se audivisse perhibuit.

Auscultatio praestatur Stethoscopio (ab τὸ στῆθος pectus et σκοπέω inquiro) id est cylindro ligneo pedis longitudinem habente, canali quodam pervio, tres lineas amplo, cuius alter finis infundibuli instar ampliatus et appendice instructus est. — Conclave, in quo exploratio adminis-

---

1) Lejumeau de Kergaradec M'emoire sur l'auscultation, appliqée a l'étude de la Grossesse ou Recherches sur deux nouveaux signes propres a faire reconnaitre plussieurs circonstances de l'etat de gestation, lu a l'académie royale de medicine dans sa seance générale du 26 Decembre 1821. Paris 1822. 8.

tratur placidissimum sit, mulierque auscultationi submittenda, cui situs recumbens convenientissimus est, summae tranquillitati indulgeat.

Exploratio ipsa ita instituitur, ut stethoscopii aut potius Gastroscopii (ab ἡ γαστὴρ abdomen et σκοπέω inquiro) remota appendice finis amplior abdomini leviter vestito vel nudo mulieris explorandae apponatur, finis autem superior auri indagantis ita applicetur, ut instrumentum, nulla manu levatum, quippe quae propagationem soni intercludit, ventrem inter mulieris et aurem medici firmiter haereat, auremque exacte obturet.

Tubo sic applicato, utplurimum si gravida est femina in uno alterove abdominis latere circa regionem mesogastricam aut hypogastricam inter murmura pulsatio quaedam peculiaris auditur, pulsui vasis arteriosi similis, cuius duplex ratio est; etenim aut lenta, quasi spirans, obtusa, imo interdum sibilans et contemporanea pulsui aliarum gravidae partium, v. c. arteriae radialis brachii; aut cita, saepe citissima, dura, brevis, sonora, horologii ictibus non absimilis, planeque diversa a superiori vel corporis materni pulsatione. —

Uterque pulsationis modus, alio enim nomine vix designari queunt, adeo peculiaris est, ut qui semel eum audiverit, facili negotio rursus agnoscat, neque cum arteriae auricularis aut temporalis

pulsibus confundat, quippe qui, si tubus acusticus auri et temporali regioni firmius adprimitur, percipiuntur corporisque proprii pulsibus consentanei observantur.

Causa huius pulsationis Auctore Lejumeau de Kergaradec in placenta cordeque foetus quaerenda videtur, sic, ut ictus tardiores et spirantes placentae, celeriores vero et sonori cordi adscribantur, quod quidem de posterioribus non temere dici arbitror. Hanc sententiam praecipue diversitas eorum a matris pulsu nec non celeritas confirmat, quae tanta est, ut intra horae sexagesimam partem ictus centum et viginti ad centum et septuaginta numerentur, qui duplices esse consuerunt, eundem rhythmum ac cordis foetalis contractiones exhibent, pauloque ante partum ut plurimum quinque tantum ictibus a pulsatione funiculi umbilicalis modo editi distant. Hasce pulsationes a foetu proficisci, eo praeterea comprobatur, quod quo magis inter partum infantulus in pelvim minorem descendit, locus etiam, quo ictus illi celerrimi animadvertuntur, magis magisque demittitur, novissimeque prorsus aboletur, si caput genitalia externa permeat; quod observandi uberrima mihi opportunitas contigit.

Minus autem in confesso est, pulsationes tardiores spirantesque placentae originem debere. Huic enim opinioni potissimum intermissio pul-

suum refragatur, quam et ipse et alii frequentissime animadverterunt. Haec enim intermissio vix ne et vix quidem exsistere potest, si pulsus proficiscuntur a placenta, quippe quae locum occupatum deserere nequit, ceteroquin similis pulsuum intermissio in aliis corporis materni partibus haud observatur. An sanguinis circuitus in placenta hanc forsan peculiarem indolem habeat, nescio.

Sin altera ex parte pensitamus, locum huius pulsationis placentariae, quae dicitur, semper fere ad sedem placentae in utero respondere, quod unusquisque facile sibi persuadere potest, manu protinus post partum celeriter in uterum demissa, sententia eorum, qui causam pulsationis in placenta aut circa locum adhaesionis cum utero quaerendam esse autumant, multum probabilitatis lucratur. Placentam nihil esse constat, nisi magnam vasorum congeriem, quae reticuli more ramificantur, multifariam inter se coniunguntur et in parte uterina citra dubium e vasis uteri dilatatis ortum capiunt.

Parti uteri obtusae, utplurimum lateris dextri adhaerescit, eiusque diameter duos ad octo pollices patet; hinc evenire videtur, ut pulsationes modo dictae plerumque in dextro abdominis dimidio et quidem per circuitum duorum octove pollicum investigentur. Unde autem singularis

illa spiratio ictuum? Fortassis ab emanatione sanguinis pluribus e vasis in multa alia ampliora proficiscitur, quorum lumen, si omnia comprehendas maius est spatio illorum, id, quod multis aneurysmatibus supervenit, quae similem strepitum tangentibus offerunt. Originem ictuum minime aortae tribuendam esse, partim ex defectu eorum adverso in latere, partim ex intensitate, partim ex eo patet, quod nihil huiusmodi apud mulieres non gravidas unquam deprehenditur, quod in his multo facilius observari debebat, quum propagatio soni neutiquam utero interiecto, expansoque praepediatur. Auditur quidem in mulieribus uterum non gerentibus, praesertim gracilibus, pulsatio aortae et arteriae iliacae dextrae sinistraeque, neutiquam vero spiratio illa admirabilis, et alia omnia quoque a superioribus quam maxime differunt.

Utraque pulsationis species, foetàlis nempe et placentaria non semper sub sensus cadunt, sed saepe intermittunt, id est per intervalla minutorum quinque, decem, quindecim, imo dimidiae vel totius horae disparent, et explorationibus post haec institutis nullo pacto reperiuntur.

Nonnunquam primo auscultationis die nihil omnino auditur, postero die ictus luculentissime percipiuntur, et tertio ne vestigium quidem eorum superest. Pulsationes foetales ut plurimum

post valentiorem infantis motum evanescunt, quarum igitur intermissio non temere a situ foetus mutato deducitur, quippe qui eiusmodi est, ut motus cordis contractione inductus, per liquorem amnii uterique parietes ad abdominis usque tegumenta neutiquam proferri, ibique animadverti possit. — De pulsationis placentariae intermissionibus iam supra quaedam monuimus.

Pulsationes foetales, si cum placentariis compares, arctioribus circumscribuntur limitibus, vulgoque in matris latere sinistro anteriori aut dextro anteriori, rarius in dextro sinistroque posteriori magis minusve percipiuntur; prout infantis caput vel situm primum, secundum, tertium, quartumve, quem obstetricii dicunt obtinet, quibus fit, ut dorsum infantuli propius aut longius a ventris parietibus absit.

Placentae autem pulsationes latius expanduntur ac plerumque in latere matris dextro, nonnunquam sinistro, rarius in anteriori exaudiuntur, prout placenta partem uteri dextram aut laevam aut anteriorem tenet. Exempla, his pulsationibus carentia, quibus procul dubio placenta posteriori uteri paginae adhaesit, quod evenire sane potest, mihi quidem haud innotuerunt, licet gastroscopium repetitis vicibus matris dorso apposuerim.

Interdum utraque pulsatio tam foetalis quam placentaria eodem in loco percipitur; quibus in

casibus situs infantis istiusmodi est, ut dorsum aut pectus eius placentae adversum sit. Semper fere placentae situs loco congruebat, quo pulsationis placentariae vestigia observabantur, neque minus infantuli positus ad eum respondebat, quem ostentatio pulsationis foetalis suspicari iubebat. Unum tantummodo exemplum in multis obvium fuit, quo placentae sedes dextro in latere, auditae pulsationi placentariae in altero latere repugnaret. Fallaciam inter auscultationem me decepisse, vix credo, quam non semel modo sed pluries eodem in loco pulsationes animadverterim.
In quanam graviditatis periodo una alterave pulsationis species manifestetur, eruere non licuit, quum non nisi exploratio mulierculárum per alterum graviditatis dimidium mihi contingeret. Verumtamen celeritatem pulsationis foetalis, quo propius puerperii tempus accedat, magis magisque decrescere intellexi, ut ictuum numerus a 130, 140, 150-160 ad 125-130-140 redigeretur. — Itidem pulsationem utramque convenientissimam primo mane reperi, intensiorem sed irregularem, imo saepe intermittentem, statim post pastum et vespertino tempore deprehendi.

Affectus animi excitantes placentae pulsationes accelerabant, deprimentes vero, uti sollicitudo, curae, ictus paulo rariores reddiderunt. Circa

pulsationem foetalem animi affectiones matris nunquam efficaciam exseruerunt, verumtamen violentiores matris contentiones motusque infantis fortiores in illam influxerunt, quippe quibus contractiones cordis infantilis nunquam non adaugebantur.

Ex hisce praemonitis sequentia fere redundant:

1. Exploratio per tubum acusticum sane notam graviditatis diagnosticam exhibere videtur, praesertim si aliis destituimur signis, v. c. si morbi simul adsunt, ut ascites, menstruorum retentio cum ventris intumescentia, steatomata ovarii, hysteria, aut si mulierculae graviditatem occultant. Etenim his in exemplis, si utraque pulsatio vel alterutra tantum praecipue foetalis exauditur, cum evidentia graviditatem ratiocinari oportet. Verumtamen criteriis graviditatis nunquam illa interponenda est, quum pulsationes non omni tempore, quin imo exploratione quinquies deciesve iterata vix semel observentur. Errorem igitur committat necesse est, qui si nullae audiuntur pulsationes, omnem abesse graviditatem, diserte affirmet.

2. E pulsatione foetali plurifaria et contemporanea cum pulsatione placentaria vel simplici vel duplici graviditas multiplex concludi potest. Verum his quoque ea obiicere licet, quae antea posuimus, si

quidem ex pulsatione foetali aut placentaria uno tantum in loco manifesta nequaquam certum ratiocinium deduci potest, unum modo foetum unamve placentam subesse.

3. Si pulsationes sublimius audiuntur v. c. in regione epigastrica, nescio an forsan abnormitas oculi quaedam statui possit.

4. Eodem modo ab ictibus cordis infantilis in loco ventris materni plane insolito observatis sine manifesta uteri amplificatione, graviditatem extrauterinam forsan concludi posse, confido. —

5. Neque minus infantuli situs e loco pulsationis foetalis eiusque intensitate determinandus est. Si v. c. pulsatio illa regionem iliacam inter et inguinalem aut iliacolumbalem et inguinalem sinistram manifestissima est, ratiocinandum videtur, capitis infantilis situm ita esse comparatum, ut frons ad posteriorem et dextram, dorsum ad anteriorem laevamque partem, pulsibus autem hic minus perspicuis, frons ad anteriorem et sinistram, dorsum ad posteriorem et dextram partem spectet, quod in omnibus fere exemplis mihi obviis cum evidentia praesagiri potui, id est sub novissimum graviditatis tempus, paulo ante partum, quo infantuli situs nullis amplius mutationibus obnoxius est.

6. Vita infantis ex observata pulsatione foetali quam certissime coniectari potest, neutiquam vero ex defectu omnis pulsationis foetalis mortem eius suspicari licet, siquidem, uti supra posuimus, signum illud saepenumero abest, at vero nihilo secius infans vivus sanusque in lucem prodit.

7. Propterea etiam infantis comminutio in utero seu cranii perforatio apparente pulsatione foetali vetatur, neutiquam vero deficiente indicatur, si iis adstipulamur, qui foetum non nisi mortuum, huic operationi submittendum esse prohibent.

8. Haud minus incertum est ratiocinium, quod observata pulsatione placentaria, deficiente autem foetali molam inesse censet etenim 1, pulsationes foetales saepius desunt licet vivus infans utero inhaeret 2, ante mensem quartum placenta non adest, ideoque pulsationes affere nequit, si excoli coepit, si foetus nutritio per eam fieri debet, hic autem deest, ovum degeneratum, tanquam corpus mortuum seu mola, extruditur, nisi singulares conditiones accedant, quae diuturniorem eius retentionem efficiant. Sin autem accidit placenta etiam contabescere consuevit.

Quo melius omnia hactenus proposita confirmentur, exempla duo e multis desumpta recensere liceat, quorum eventus conspirationem scrutiniorum auscultando

obtentorum cum visis repertis foetus et placentae docuit.

I.

Ludowica Rosinzky viginti novem annorum, pridie nonas Februarii MDCCCXXIII quum cepisset simulque ascite hydrothoraceque laboraret, ab instituto nosocomii caritatis obstetricio recipiebatur. Vitium modo dictum symptomatibus diagnosticis, uti tumescentia ventris cum fluctuatione, suppressa cutis perspiratione et lotii secretione, pedum et labiorum vulvae oedemate, spiritus angustiis, siti etc. luculentissime sese exseruit.

Graviditatis tamen criteria, alioquin pro certissimis habita, penitus abfuerunt. Praegnans quidem infantis motum se sensisse affirmabat, verumtamen fallaciam subsesse non improbabile fuit, quum a nobismet ipsis nihil eiusmodi animadververteretur. Neque uterus luculenter extrinsecus sentiebatur, neque mutationes portionis vaginalis certam exhibuerunt notam, siquidem illa induruerat dolebatque.

Has ob rationes aegrota non gravida exsistimabatur, curandique methodus antihydropica administrabatur. Quum interea mulier dictis fidem adiicerit, nostraque scire interesset, an vera promulgaverit nec ne, idibus mensis Ianuarii MDCCCXXIII exploratio tubi acustici ope insti-

tuebatur, eoque non solum pulsatio foetalis in parte abdominis sinistra inferiori, verum quoque pulsatio placentaria in parte corporis materni dextra superiori animadvertebatur, graviditasque extra omnem dubitationis aleam collocabatur. Eventus et huic et aliis explorationibus serius administratis fidem fecit, etenim a. d. VIII mensis Februarii aegrota feliciter puerum enixa est, qui uti obstetricii medici dicere consuerunt, primum capitis situm exhibebat. Placenta dextrae uteri paginae adhaesit.

II.

Carolina Roesener triginta annos nata a. d. VIII mensis Februarii MDCCCXXIII doloribus praesagientibus iam infestata in institutum nostrum obstetricium accipiebatur, seque per biduum nullum infantuli motum animadvertisse affirmabat. Auscultatio tubo acustico instituta, pulsationem placentariam in dextro matris latere, foetalem vero inter regionem iliacam sinistram et inguinalem singularem in modum prodidit. Pulsus nimirum fortissimi, celerrime sese excipientes cum intermissionibus secundum horae scripulum continentibus offerebantur. Per octo tantum minutas observabantur, ictibusque cordis aequabant, quod collectis novissime viribus sanguinem suum effundat, tum prorsus disparebant. Explo-

rationibus, postea etiam saepius iteratis, nullo pacto investigari potuerunt, quam ob rem infantem exspirasse ratiocinati sumus. Molimina interim exasperabantur et infantis caput, cuius frons versus dextram symphysin sacro-iliacam spectabat, per os uteri, per vaginam et genitalià externa processit, quo facto mulier a. d. IX mensis februarii sub horam pomeridianam primum feliciter filiolam edidit, quae neutiquam, uti creditum erat, exspiraverat, sed infirma tantum et praematura erat, quibus procul dubio factum est, ut post quintam a partu horam vitam poneret. Placenta leviter tantum utero adnexa, dextrum eius parietem tenuit.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego Carolus Augustus Ferdinandus Lau, Berolini patre iam quinque fere annis deplorato, matre qua gaudeo optima e stirpe Irmeriana anno millesimo septingentesimo nonagesimo nono die tertio mensis decembris natus, et christianae religioni secundum Lutheri formulas addictus sum. Doctrinis, quibus aetas puerilis instrui solet, absolutis, gymnasium Ioachimicum adii, ibique per biennium litteris, quae studium academicum antecedere consueverunt, diligentissime incubui. Anno millesimo octingentesimo decimo octavo mense Aprili Instituti regii medico - chirurgici Friderico - Guilelmiani alumnorum numero adscriptus, per octo semestria medicinae ac chirurgiae studio assidue me tradidi, neque minus in

medicina, chirurgia atque arte obstetricia exercenda versatus sum, fungens per annum munere chirurgi in nosocomio caritatis. Iam medici centuriati officio suscepto Wittenbergam concessurus sum.

Quo ex tempore disciplinas philosophicas ex ore beati Kiesewetter hausi. Interfui lectionibus de chemia, physice et pharmacia Ill. Hermbstàedt, Cel. Turte et Ermann; de botanice, historia naturali, toxicologia et philosophia naturae Ill. Link, de Magnetismo animali Cel. Wolfart; de vermibus intestinalibus Ill. Rudolphi. Omnibus, quae ad anatomiam pertinent, disciplinis, Ill. Knape, Rudolphi et Rosenthal me instituerunt. Frequentavi Ill. Rudolphi et Cl. Eck praelectiones de physiologia, nec minus Cel Fr. Hufeland de pathologia generali et semiotice, Ill. Horn de pathologia speciali. Cel. Osann materiam medicam, fontium medicatorum indolem et Ill. Knape artem formulas medicas concinnandi et anthropologiam forensem me docuerunt. In therapia ab Ill. Chr. W. et Cel. Fr. Hufeland edoctus sum. Chirurgiam tam generalem, quam specialem nec minus Akiurgiam Ill. Graefe, Rust et Cel. Kluge mihi tradiderunt. Experient. Iüngken autem lectionibus de ophthalmiatrice et Cel. Kluge de artis obstetriciae et fascias applicandi praeceptis inter-

fui. Exercitationes clinicas, tam medicas quam chirurgicas Ill. Chr. W. Hufeland, Cel. Neumann: Ill. Graefe, Rust et Cel. Wolfart nec minus interpretationes Ill. Behrends circa Celsi libros adii.

Tentamine d. XVI m. Februarii et examine rigoroso d. XIV m. Martii coram gratioso medicorum ordine rite superatis, post dissertationem conscriptam palam defensam spero, ut summi in medicina et chirurgia honores per Decanum maxime Spectabilem in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Haemorrhagia non est morbus per se, sed symptoma morbi.

II.

Acrimoniae exstant.

III.

Nullum adest graviditatis criterium.

VI.

Rheumatismus et arthritis inter se differunt.